



**R. P. Ioannis Præpositi Atrebatis, E Societate Iesv, S.
Theologiæ Doctoris, & quondam in Vniuersitate
Louaniensi ac Duacensi Professoris, Commentaria In
Tertiam Partem S. Thomæ De Incarnatione Verbi ...**

LePrévost, Jean

Dvaci, 1629

Art. V. Vtrum per malos ministros Sacramenta conferri possint.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94249](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94249)

D V B I V M I.

Utrum Sacramentum collatum à malo ministro sit validum?

CIRCA hanc materiam errarunt varij hæretici. Nam Donatistæ improbabant baptismum collatum à manifestis peccatoribus; ut colligitur ex August. lib. 2. contra epist. Parmeniani cap. 10. sub medium; immo improbabant collatum à quocumque peccatore etiam occulto, ut satis patet ex eodem Aug. cap. 15. lib. citati. Wicleff. existimauit præscitos non conficere Sacramentum, teste Waldensi tomo 2. cap. 14.

Sed certâ fide tenendum est Sacramentum non reddi inualidum propter ministri improbitatem, si adsint necessaria ad valorem Sacramenti. patet ex Concil. Trid. sess. 7. can. 12. de Sacramentis in genere. Si quis dixerit ministrum in peccato mortali existentem, modo omnia essentialia, quæ ad Sacramentum conferendum aut conferendum pertinent, seruauerit, non conficere aut conferre Sacramentum; anathema sit. Idem definitum est de ministro Sacramenti penitentiae sess. 14. eiusdem Concil. can. 10. Patet etiam ex Concil. Constantiensi. sess. 8. in qua damnatur articulus quartus Ioannis Wicleffi qui sic habet: *si Episcopus vel sacerdos est in peccato mortali non ordinat, non conficit, non consecrat, non baptizat.*

Probatur 1. ex Patribus. August. in libris contra Donatistas hunc eorum errorem refellit, & peculiariter lib. 2. contra epist. Parmeniani citato. Idem tract. 5. in Ioan. circa medium dicens: *quid non nouerat? (scilicet Ioannes in Christo) præstantem baptismi ipsum Dominum habiturum, & sibi retenturum &c. & infra; sed ministerium plane transierunt in bonos & malos, &c. quid tibi facit malus minister ubi bonus est Dominus?* eodem tract. sub finem ex illo Ioan. 4. *Quamquam non baptizaret, sed discipuli eius; colligit Iudam validè baptizasse, cum ab eo baptizati, non fuerint rebaptizati.* Chrysost. homilia 85. in Ioan. sub finem: *sacerdos & linguam & manus præbet, neque enim iustum est propter alius malitiam ad salutis nostræ symbola fide accedentes offendi.*

Probatur 2. character non deperditur per peccatum; ergo nec potestas validè Sacramentum conficiendi vel conferendi. Antecedens patet ex dictis, quod scilicet character saltem in hac vita sit indelebilis, & ex eo quod sacerdos peccator non ordinetur iteratò quando resurgit à peccato. Consequentia probatur, potestas validè conficiendi Sacramentum in hac vita inseparabiliter comitatur characterem.

Probatur 3. si valor Sacramenti dependeret à probitate ministri, Christus Dominus instituentdo Sacramenta parum Ecclesiæ suæ consuluisse. nam v. ul quisque semper meritò posset dubitare, num Sacramentum validè suscepisset, eò quod fortè minister sit improbus; pertinuit ergo ad suam Dei prouidentiam ita Sacramenta institueri, ut quoad substantiam non penderent à probitate ministri, & ut per malos ministros eorum effectus possent conferri.

Confir. 1. probitas vel improbitas ministri est conditio personalis & particularis, cuius proinde decuit non haberi rationem ad hoc ut Sacramentum esset validum.

Confir. 2.

in Sacramento penitentiae, de quo suo loco; nec ut sufficiat in reliquis ad valorem Sacramenti, satis sit ut Sacramenta licetè cuiusque ministrantur; nam ut alicui licetè ministretur Sacramentum, præter Ordinem requiritur potestas ordinaria, vel delegata, & quidem non impedita respectu illius. Ratio est, quod sit Pastorum in Ecclesiâ admittere, medicinam spiritualem præbere, docere & milites spirituales creare. &c. unde Episcopus non potest subditos alterius Episcopi sine eius facultate ordinare, Pastor non potest alterius subditum propria autoritate Sacramento extreme unctionis munire, & secus facientes grauius peccant; similiter peccant si ministrent Sacramenta etiam suis, quando sunt legitime prohibiti.

Dices Apocal. 5. dicitur: *seculi nos Deo nostro regnum & sacerdotes*; ergo singuli homines sunt sacerdotes; ergo possunt validè Sacramenta ministrare.

Resp. neg. priorem consequentiam, quia prædictus locus non necessariò intelligitur de sacerdotio strictè sumpto, sed latiori significatione, pro potestate offerendi Deo sacrificium spirituale bonorum operum. Christus enim nobis est promeritus ut spirituales hostias bonorum operum possemus æterno Patri offerre. 2. quamuis locus de sacerdotio strictè sumpto intelligeretur, sensus illius non esset quod singuli Christiani sint sacerdotes, sed quod in sola Ecclesia sit verum sacerdotium: quemadmodum quando Exodi 19. dicitur, *& vos eritis mihi in regnum sacerdotale*, non designatur quod omnes Iudæi futuri essent sacerdotes, sed quod in eorum regno futurum esset verum sacerdotium à Deo constitutum.

ARTICVLVS V.

Utrum per malos ministros Sacramenta conferri possint?

SENSUS articuli est, an Sacramenta possint per malos ministros validè conferri, si adsint cetera ad Sacramenti substantiam necessaria.

Respondet autem affirmatiuè, quia minister Sacramenti operatur tanquam instrumentum; instrumentum verò non agit secundum propriam virtutem, sed secundum virtutem acceptam ab alio cuius est instrumentum; & proinde si minister retineat virtutem quæ requiritur in illo ut est instrumentum, validè conficiet Sacramentum: ad rationem autem instrumenti in ministro eius bonitas est impertinens.

Aduerte ex solutione ad 3. aliquid dupliciter dici debitum in Sacramento: uno modo necessitate Sacramenti, sine quo Sacramentum confici nequit; qua ratione debita est materia, forma, intentio ministri; altero secundum quandam decentiam, quo modo probitas requiritur in ministro, cum deceat sacerdotum ministros in vitæ puritate & probitate assimilari principali agenti in Sacramentis.

16.

Error Donatistarum.

Item Wicleff.

Resp. affirmans est de fide.

Trident.

Constantiensis.

17.

Prob. ex PP.

August.

Chrysost.

18.

Prob. ratione.

13.

Non tenet per se.

ordinatio.

Confir. 2. Dei bonitas, sapientia, & potentia peculiariter in eo refulcent, quod etiam per malos ministros gratiam alijs largiatur.

Ex his facile patet refutatio erroris VVicleffii supra relati.

19.

Non confertur maior gratia ex maiori ministerii sanctitate. Auguſt.

Patet etiam quod ex maiori sanctitate ministri non conferatur maior gratia sacramentalis, vel minor propter minorem eiusdem sanctitatem: quod etiam docet Auguſt. lib. 3. contra Cresconium cap. 6. dicens: *ad hominem baptizandum & sanctificandum, si tantum est melius quod accipitur, quando est melior per quem traditur: tanta est in accipientibus baptismorum varietas, quantum in ministris diversitas meritum, & infra: porro si inter bonos ministros cum sit alius alio melior, non est melior baptismus qui per meliorem datur, nullo modo melius est qui etiam per malum datur, quando idem baptismus datur: & ideo per ministros dispares Dei munus aequale est, quia non illorum, sed eius est.*

Obiectio 1.

Obijci potest 1. quod nemo det quod non habet; ergo malus carens gratia non potest eam alteri conferre.

Resp.

Resp. neg. antecedens; non enim necesse est instrumentum habere formaliter vel eminenter perfectionem quam alteri tribuit.

Obiectio 2.

Ioan. 20.

Obijciatur 2. quod mali sacerdotes non habeant Spiritum sanctum; ergo nequeunt remittere peccata. Consequentia probatur, quia Ioan. 20. dicitur: *accipite Spiritum S. quorum remiseritis peccata remittantur eis; quibus verbis datur Spiritus S. ut peccata remittantur.*

Resp.

20.

Quid intelligatur loco citato per Spiritum Sanctum.

Resp. neg. antecedens quamvis enim mali sacerdotes non habeant Spiritum S. per charitatem ipsis inhabitantem, tamen ratione consecrationis habent assistentem ad Sacramenta perficienda, & ut tanquam ministri alios sanctificent, si in suscipientibus non ponatur obex receptioni gratiae. Hec solutio conformis est doctrinae variorum, qui dicunt per Spiritum S. Ioan. 20. intelligi Spiritum S. assistentiam ad Sacramenta conficienda. Si tamen intelligamus donum Spiritus S. quod est gratia sanctificans, dico dari Spiritum S. id est gratiam, non ut sacerdotes valide Sacramenta conficiant, sed ut licet suum munus exequantur.

Obiectio 3.

Auguſt.

Obijciatur 3. Auguſt. lib. 3. de baptismo contra Donatistas cap. 18. dicens de malis ministris, *remissam tamen peccatorum non dabant, quia per orationes sanctorum, id est per columbae gemitus datur, quicumque baptizetur, si ad eius pacem illi pertineant, quibus datur, non enim raptoribus & feneratoribus diceret Dominus, si cui remiseritis, dimittentur ei, si cui retinueritis, & tenebuntur.*

Quid hac in re sentiat Auguſt. clarius est quam ut in dubium revocari possit. Aliqui censent loco citato & similibus, eum non agere de ministerio remittendi peccata per Sacramenta, sed de quodam alio peculiari modo concurrenti ad peccatorum remissionem, quo videlicet aliquis per orationes & alia pia opera cooperatur ad impetrandam peccatoribus veniam, qui modus solis pijs in Ecclesia convenit, sed si Auguſt. sententia perpendatur, ea solutio videtur minus convenire.

Resp.

Resp. igitur eum loco citato nolle malos ministros non conferre Sacramentum, sed solum velle remissionem peccatorum dari per gemitum columbae, quia scilicet dictum est in boni Ecclesia, & ipsi Ecclesia, *quorum remiseritis &c.* non autem raptoribus, scilicet quatenus talibus, sed tantum ut vice Ecclesiae seu columbae funguntur. Nam scopus Auguſt. est, non esse rebaptizandos baptizatos a malis ministris, vel etiam eos qui extra pacem Ecclesiae sunt baptizati, qui redeunt ad

21.

Auguſt. Explicatur

Ecclesiam per eius gemitus solvantur a suis peccatis, & quicumque baptizet, si ij quibus datur baptismus, pertineant ad pacem columbae, accipiunt peccatorum remissionem per gemitum eiusdem columbae. Ex quo patet Auguſt. sentire Sacramentum per malum ministrum posse conferri.

D V B I U M II.

Utrum fides in ministro requiratur ad valorem Sacramenti?

22.

TA sensit S. Cyprianus, qui cum Concil. Africano tempore Cornelij Papae definiuit baptismum ab haereticis vel schismaticis collatum esse irritum, ut narrat Eusebius lib. 7. historiae Ecclesiasticae, cap. 2. & 3. quod ante eum in Africa docuerant varij Episcopi, ut refert ipsemet Cyprianus epist. 72. ad Stephanum. Idem postea docuerunt Donatistae, ut patet ex Auguſt. lib. de baptismo contra eosdem. quibus ex parte consenserunt Luciferiani: nam licet baptismum ab haereticis collatum conferent esse validum, tamen docebant ordinationem ab eis factam esse irritam.

Sensit olim S. Cyprianus.

Donatistae.

Luciferiani.

23.

Sed certa fide tenendum est Sacramenta ab haereticis vel schismaticis collata esse valida, si nihil praetermittant quod ad Sacramentorum substantiam requiratur.

Resolutio fidei.

Sacramenta valide conferri.

Probat 1. ex antiquissima Ecclesiae traditione, quam licet negaret Cyprianus, tamen asserit & propugnat Stephanus Papa. de qua consuetudine ita scribit Auguſt. lib. 2. de baptismo cap. 7. *Quam consuetudinem tota Ecclesia observatam ex Apostolica traditione venientem &c. creditur per Agrippinum primum corruptum capisse.* Et ibidem dicit ad Concilij plenarij confirmationem perductam veritatem.

Syn. Nicana.

Hieron.

Probat 2. ex Concilio Nicano, de quo Hieron. lib. contra Luciferianos circa finem ait, *Synodus quoque Nicana omnes haereticos suscepit, exceptis Pauli Samosatensis discipulis.* Quo loco vult Synodus Nicenam approbasse baptismum omnium haereticorum, praeterquam Paulianistarum, eo quod hi legitima forma non vterentur. Eandem veritatem tradidit Concil. Carthagenense primum can. 1. videri etiam potest canon 4. de baptismo sess. 7. Concil. Trid. item Innocentius 1. epist. 22. ad Episcopos Macedoniae, & plures alij summi Pontifices, quos varij referunt. Eandem veritatem propugnant, tum alij, tum imprimis Hieron. & Aug. qui lib. 1. de baptismo cap. 18. docet Cyprianum non permanfurum in sua sententia, si definitionem Concilij (scilicet Nicani) vidisset.

Cane. Carthag.

Innoc. 1.

Ratio conclusionis est, quod fides ministri sit conditio personalis & particularis, impertinens ad rationem instrumenti, cum homo non sit Christi minister & instrumentum quia hanc vel illam qualitatem habet, sed quia habet eius characterem, qui cum sit indelebilis, & per haeresim non tollatur, haereticus valide potest Sacramentum conficere.

24.

Notandum Donatistas ab Ecclesia habitos fuisse haereticos, eo quod huic errori post definitionem Concilij generalis pertinaciter adhaeserint, & existimaverint sentientes contrarij suae doctrinae esse haereticos, & rebaptizaverint baptizatos ab ijsdem Sanctum autem Cyprianum eiusque collegas & antecessores non fuisse habitos haereticos, eo quod

suum

suum errorem non propugnant contra Ecclesiæ universalem definitionem. nam, ut August. supra, si eam novisset Cyprianus, suam sententiam retractasset. Cum ergo res illorum tempore nondum videretur sufficienter tanquam de fide proposita, & suam sententiam ita defenderent, ut dissidentes ab eis rebaptizarent, non fuerunt hæretici.

Nec obstat quod Stephanus Pontifex dixerit traditionem ecclesiasticam adversari sententiæ S. Cypri. quia S. Cypri. nullam talem suam sententiæ contrariam agnoscebat, neque traditio proponebatur tanquam rem faciens de fide. quod si traditionem Ecclesiæ suæ sententiæ agnovisset contrariam, dubium non est quin sententiam retractasset, cum ex eius epistola 74. ad Pompeium constet quanti fecerit traditiones.

Dices opposuit se Pontificibus eius errorem refutantibus.

Resp. ita esse; non tamen idcirco habendum hæreticum, cum Pontifices non desinuerint eius sententiam continere errorem in fide, sed contra illum egerint ex autoritate & ratione, quæ sibi non putabat adversari; atque ita non potuit dici adhærere pertinaciter ei, cuius contrarium esset sufficienter propositum tanquam de fide. Contra resolutionem

Obijciunt 1. quod extra Ecclesiam salus esse non possit.

Resp. nihil inde concludi, quia licet hæreticus sit extra Ecclesiam, non idcirco is qui ab eo recipit Sacramentum, salutem consequitur extra Ecclesiam, quia recipit Ecclesiæ Sacramentum, quod potest ministrare is qui est extra Ecclesiam.

Obijciunt 2. Amb. lib. de ijs qui mysterijs iniunguntur cap. 4. in medio dicit: *est enim in aliquibus* *non sanatur baptisimus per se ipsum, non mundatur, sed poluitur.*

Resp. Ambr. solum velle Sacramentum ab hæretico collatum non mundare suscipientem, scilicet adultum, non cōferre sanctificationis gratiam, scilicet frequenter, quia videlicet recipiens Sacramentum ab hæretico peccat. pro quo

Notandum, quod ex dictis alibi patet, Sacramentum non ita mundare recipientem, ut nullam in adulto requiratur dispositionem: cum itaque adultus Sacramentum recipiens ab hæretico vel improbo ministro mortaliter peccet, eo quod tali casu censetur moraliter alterius peccato cooperari, sequitur verè dictum ab Amb. *non sanat baptisimus per se ipsum, sed poluitur*, in quantum scilicet suscipiens censetur cooperari peccato ministri, & ita indigne suscipit Sacramentum: cum hoc tamen optimè consistit quod substantia Sacramenti per talem ministrum poni possit: immò si suscipiens non peccet, & de cetero legitime disponatur ad gratiæ receptionem, mundari possit per Sacramentum ab improbo, hæretico &c collatum, quo modo verè mundatur infans à quocumque baptizetur, & potest mundari adultus qui baptizatur ab hæretico nesciens esse hæreticum.

Adverte etiam si qui Patres videantur docere hæreticos non habere verum baptismum, non univèrsim id pronuntiare, sed de quibusdam, qui legitimam formam non utebantur

Obijciunt 3. Pelagius Papa dicens: *Non est Corpus Christi* *quod schismaticus conficit.* habetur 24. q. 1.

Resp. Pontificem non velle talem non conficere Sacramentum, sed solum velle non conficere Christi Corpus quatenus corpus Christi mysticum significat, id est Ecclesiam, à qua schismaticus est divisius, quod satis patet ex verbis sequentibus & eius discursu.

Obijciunt 4. quod Bern. ser. 66. in Cantica neget hæreticos habere potestatem Christi Corpus & Sanguinem consecrandi.

Resp. non agere de omnibus, sed de ijs qui non sunt consecrati à legitimis Episcopis, atque adeo non sunt veri sacerdotes, quales videntur fuisse Apostolici hæretici, contra quos eo loco agit

Obijciunt 5. quod can. 67. Apostolorum ordinatio facta ab hæretico videatur decerni irrita. prætermisissis quorundam solutionibus

Resp. decerni irritam, non quod non sit vera, & validum Sacramentum, sed quod per illam non recipiatur potestas expedita Ordinum functiones exercendi, qui enim Ordinem suscipit ab hæretico, suspenditur ab illius executione.

In fine dubij adverte aliquos notare, Patres qui aliquando videntur requirere fidem, ut Sacramenta conficiantur, eam vocem non sumere prout communiter à Doctoribus accipitur, sed pro intentione operandi iuxta Christi Institutionem, vide Alanum lib. de Sacramentis in genere cap. 53.

ARTICULVS VI.

Utrum mali ministrantes Sacramenta peccent?

AFFIRMAT, ex eo quod ministri Sacramentorum debeant Domino conformari, iuxta illud Levit. 19. *sancti estote quia ego sanctus sum.* docet autem illud peccatum esse ex suo genere mortale

DVBIVM I.

Utrum ministri Sacramentorum peccent, si ea extra statum gratiæ conficiant?

NOTANDVM duplicem esse Sacramentorum ministrum. quædam enim Sacramenta non requirunt ministrum ad id peculiariter consecratum, ut baptismus, qui in extrema necessitate potest etiam licite à laico ministrari, & matrimonium cuius ministri iuxta communem sententiam sunt contrahentes: alia verò Sacramenta requirunt ministrum ad id peculiariter consecratum, ut in singulis Sacramentis ostenditur. hoc prænotato

Resp. & dico ministrum qui ex officio & peculiari consecratione ad hoc accepta Sacramentum conficit, per se loquendo peccare, & quidem mortaliter, si conficiat extra statum gratiæ. V. g. sacerdos in peccato mortali existens sacramentaliter absolvens, Eucharistiam consecrans, ministrans extremam unctionem, per se loquendo peccatum mortale committit. Similiter Episcopus conferens Ordinis vel Confirmationis Sacramentum in statu peccati mortalis. immò & sacerdos simplex conferens Sacramentum Confirmationis vel Ordinis ex concessione Pontificis, quod etiam dicendum de baptizante solemniter. est communis Doctorum.

Probatur ex Aug. lib. 2. contra epistolam Parmeniani cap. 10. dicente: *omnia Sacramenta cum ob sint indigne tractantibus, profunt tamen per eos digne*